Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.

Wien, 1794 Seite 2195

Quelle:
Copyright:

eſſe debuit &c. Finis: *clara uoce uitaſti.* Inter alia: *Non credebam, ut ſpiritus uertiginis, quem in Florentina ciuitate futurum præuideram, quod te ſingulariter peruertiſſet.*

Fol. VIII. p. 2. *Fratri Johanni* (fortaſſe *de Salerno.* Vide *Cod. præc.*) *frater Simon ſalutem.* Deplorat mortem *Angeli* ejusdem Ordinis viri, mittitque varias ejus epiſtolas, *ut*, ſubjungens, *cum tibi uacauerit paulatim ſcribas bona litera, in carta bædina, aut pecorina uolumen bonum* &c. Initium: *Niſi quia origo luminis* &c. Finis: *ſempiternæ mandare memoriæ.*

Fol. IX. p. 2. *Seruo Dei fratri Franciſco uilis et modicus frater Simon de Caſſia* &c. Initium: *Recordatus ſum tui* &c. Finis: *parco mihi et tibi. Scripta Caſſię XIII. die menſis Julij.* Continet monita ad vitam perfectam.

Fol. XII. *Suo reuerendo in Chriſto patri et refugio ſingulari fratri Simoni de Caſſia frater Johannes de Salerno* &c. *Veſtrę paternitati recolo alias* &c. Finis: *licet indignum, quia ingratus.* Animum inter mali genii ſuggeſtiones fluctuantem explicat.

Fol. XII. p. 2. *Amico inter inuiſibiles turbines fluctuanti fratri Johanni de Salerno peccator, peccatorumque collega frater Simon ſalutem et reſpirare in vero. Tua in fluctibus* &c. Finis: *ad quod ſe uiam fecit, qui uiuit in ſecula ſeculorum Amen.* Epiſtola prolixa tradens modum pravis impulſibus reſiſtendi.

Fol. XX. Jubetur quidam in Romana Curia dignitates aucupans ab ambitione et Simonia cavere. Initium: *Adhuc dum recolo* &c. Finis: *Si uobiſcum eſt abbas de caſerra* (caſerta?) *recommendetis me ſibi.* Curiae non parcitur.

Fol. XX. p. 2. Homilia breuis de domandis pravis affectibus. Incipit: *Si militia eſt uita hominis* &c. Deſinit: *pro uictoria coronandus.*

Ibid. Epiſtola, qua Sodalium quendam ad vitam anachoreticam adſpirantem in praeſenti vivendi inſtituto confirmare contendit. Initium: *Si voluntatem in noſtris regulationibus* &c. Finis: *Vale et ora pro me et omnibus.*

Fol. XXI. p. 2. Hortatur Monachos quosdam, ut, qui proprium arbitrium ſequi velint, in clauſtro non retineant. Inter alia: *Non conturbemini, ſi aliqui egrediuntur; quia non ſunt ex uobis, ſi eſſent ex uobis manſiſſent utique uobiſcum. Et ſi non egrediuntur expellite, quot noueritis ſequi propriam uoluntatem.* Initium: *Gaudete ſi locus veſter* &c. Finis: *Fr. S. VI. Decembris. Peruſii cum recommendatione.*

Fol. XXII. *Reuerendo in chriſto patri fratri Simoni Domnus Johannes monachus Vallis vmbroſę* &c. *Referente mihi uenerabili* &c. Finis: *omnium diligentium nomen Jeſu.* Vulnus animi Simoni aperit et medelam implorat.

Fol. eod. p. 2. Reſpondet *Simon*, laudes in ſe collatas elevat,